



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm VIII. Ex transmissa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

## Ex transmissa.

## PARAPHRASIS.

Mulier quædam separauit se à viro, præten-  
dens fortasse impedimentum consanguini-  
tatis: super hac causa respondet Ale-  
xander III. si constet, quòd mulier legiti-  
mè desponsata sit viro; ab eaque cog-  
nita, esse ipsi restituendam, recepta cautio-  
ne sufficiente de non offendendo: sin au-  
tem vir odio capitali mulierè prosequa-  
tur, ita ut ipsi periculum timeatur, tum  
restituenda non est, sed custodienda in  
loco tuto, ubi vir & parentes eius nullam  
violentiã inferre queant.

## SUMMARIVM.

1. Pro matrimonio in facie Ecclesiæ contracto  
presumptio est, quòd sit validum, donec  
impedimentum dirimens ostendatur.
  2. Coniunx post matrimonium consummatum  
spoliatus, plene est restituendus, etiam  
quoad torum, nisi impedimentum quod  
obijciatur notorium sit, aut in continenti  
probari possit.
  3. Nondum autem consummato matrimonio  
spoliatus tantum restituitur quoad ha-  
bitationem, non autem quoad torum si  
impedimentum dirimens obijciatur.
- 1 **P**RO intellectu textus: Adverte 1. Quòd  
sermo sit de sponsalibus de præsentè, a-  
deòq; matrimonio, eòque in facie Ecclesiæ  
contracto; nam pro tali matrimonio præ-  
sumptio est, esse validum donec impedi-  
mentum dirimens ostendatur.
- 2 Adverte 2. Sermonem esse de matrimo-  
nio consummato, hoc casu plena restitutio  
coniugis se separantis fieri debet, etiam quoad  
torum non obstante obiectione occul-  
ti impedimenti dirimentis, nisi id notorium  
sit, aut statim probari possit. *c. Literas. 13. h.*
- 3 Si quidem per matrimonium consumma-  
tum plena possessio coniugis acquiritur, igitur  
spoliatus plene restitui debet. Sin au-  
tem matrimonium consummatum non fu-  
erit, tunc restitutio fit quoad habitationem,

non item quoad torum, uti etiam colligitur ex  
capitulo *Ex Conquestione 10. h. t. & c. c.*  
*Literas*, idque probari debet, quia si post  
matrimonium bonâ fide contractum oria-  
tur dubium de valore eius, & coniux præ-  
missâ diligente inquisitione veritatem de-  
prehendere non possit, coniugij usum pete-  
re quidem potest, cum sit in possessione ali-  
qua juris, quo in dubio priuari non debet;  
non potest tamen cogere alterum, præfer-  
tim feminam ad reddendum, si quæstionis  
matrimonialis decisio paulò pôst à iudice  
futura sit, exponeret enim se valde graui pe-  
riculo, si postea contra valorem matrimo-  
nij pronuntietur, & ipsa corrupta sit, ut ne-  
que alterum honestum matrimonium con-  
sequi, nec inter sacras virgines in Monasterio  
velari queat. Reliqua dicuntur in *cit. c. Con-  
questione. & c. Literas.*

## CAPITVLVM IX.

## Cùm venisset.

## PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiã quã-  
dam viuente eius Rectore donauit, & cõ-  
corporauit Ecclesiæ Collegiatæ, ita ut  
mortuo Rectore redditus uniuersus ad col-  
legiatam peruenirent, interim verò à Re-  
ctore auctoritate eiusdem Archiepiscopi  
pensio annua Collegiatæ Ecclesiæ solue-  
retur, eamq; concessionem Papa suã au-  
thoritate confirmauit, accidit autem, ut  
mortuo Rectore, cùm Canonici ab Ar-  
chidiacono & quodã alio Clerico paro-  
chiam illam affectantibus, sibi timerent,  
non requisita auctoritate Archiepiscopi  
possessionem parochiæ ingressi sint, mox  
autè pluribus rebus quas Rector obiens  
reliquerat ab Archidiacono spoliati. Hac  
controversiã cognita respondit Alexan-  
der III. Cùm Canonici annuam pensio-  
nem à Rectore dum viueret perceperint,  
non vitiosè ingressos esse in possessionem  
parochiæ, etiam sine Archiepiscopi auto-  
ritate, siquidem iure cautum est, etiam  
eum possidere, qui per alium possidet.

SYM-